



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Liber Qvartvs De Poenitentia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

LIBRI QVARTI DE POENITENTIA, CAPVT SECVNDVM,

De Quæstione,

An remissâ culpâ maneat debitum luendæ pænæ?

Circa hujus controversiæ statum notari debet, ab utraque parte concedi, non sermonem esse hic de pœnis post hanc vitam luendis, sed de hujus vitæ pœnis; neque etiam venire in quæstionem, annon aliquandò vel sæpius post remissionem peccatorum DEUS aliquas fidelibus immittat calamitates, peccata eis hæc ratione in memoriam revocans, & cautius mereri in posterum docens; sed an immittat à DEO post peccatorum remissionem calamitates in numero pœnarum propriè dictarum esse dici possint. Et hoc ultimum est, quod Bellarminus in se suscepto defendendum, provocans non solum ad ea Scripturæ testimonia, quibus recensetur exemplum davidis novinatim, qui à DEO post impetratam remissionem peccatorum nihilominus graviter est punitus: sed ad ea etiam, quæ indicant, mortem ipsam sæpè infligi in pœnam peccati, etiam post remissam culpam. Addit, quod si forte Calvinus dicat, Mortem esse nunquam virtutis exercitationem, ut Augustinus rectè docet: quid dicamus de parvulis, qui post Baptismum repente moriuntur, nam sine dubio peccatum originale per Baptismum illis dimissum est, neque ejus sunt ætatis, ut virtutes exercere possint, & tamen in peccati pœnis ante tempus legitimum rapiuntur. Neque solum mors, sed etiam morbi & dolores, quibus iidem parvuli non raro torquentur, sunt pœnæ originalis peccati, neque ullo modo eis ad cavenda futura proficiunt. Deinde etiam si quibusdam mors interdum virtutis materia esse possit, tamen non ideo desinit esse pœna peccati; cujus signum est, quod non aliqui tantum, sed omnes omnino moriuntur, etiam si aliqui sint justî, & nullam in morte virtutem exercere valeant, ut, qui repentinâ morte rapiuntur. Quocirca idem Augustinus mortem & peccati pœnam, & exercitium Virtutis simul esse dicit, scribens: Cum ex primi hominis perpetua propagine procul dubio mors sit pœna nascentis, tamen si pro Pietate Justitiæque pendatur, fit gloria renascentis; & cum mors sit peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato. Post cætera Sacræ Scripturæ testimonia, quibus suam thesin firmare annulus est Bellarminus, de Augustino hoc insuper iteratò subjunxit: Dicit quidem, pœnas, quibus amicos suos ad fugi sinit DEVS, esse materiam virtutis, sed non negat, esse etiam peccatorum ultionem. Et alibi apertius de hæc re loquens ultiones esse confitetur, scribens: Veritatem dilexisti, hoc est, impunita peccata eorum etiam, quibus ignoscis, non dimisisti. Sic prærogasti Misericordiam, ut servares & Veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti; sic servatur Misericordia & Veritas. Hoc testimonium reperit Bellarminus capite sequenti ut doceat, Reatum pœnæ temporalis, qui interdum remanet post amicitiam cum DEO reformatam, bonis operibus redimi posse, simul Lectorem remittens ad caput nonum, ubi plura ex Augustino & aliis Patribus laudantur testimonia, ad demonstrandum, DEO satisfieri posse pro pœnâ temporali culpâ remissâ, de quibus suo intrâstrandum, DEO satisfieri posse pro pœnâ temporali culpâ remissâ, primo, CHRISTUM obedientiâ suâ tam activâ quàm passivâ, non solum pro omnibus in universum totius generis humani peccatis, actualibus æquè ac originali, sed simul etiam pro omnibus peccatorum pœnis, & temporalibus & æternis fecisse ex ætate factis acque sic verè in CHRISTUM credentibus eum culpâ pœnam quoque, eamque non modò æternam in futuro, sed & in hoc Seculo temporalem verè remitti. Deinde, calamitates, & quæcunque adversa fidelibus in hæc vita solent à DEO immitti, pœnas peccatorum propriè, & in rigore sic dictas juxta Augustinum dici non posse nec debere. Tandem, nec ipsam Mortem, videlicet temporalem, piis & fidelibus post impetratam à DEO peccatorum remissionem esse pœnam peccati propriè sic dictam. De primo illustis est Augustini locus, ante alios omnes notatu dignissimus: Suscepit Christus sine reatu nostrum Supplicium, ut inde solveret reatum nostrum, & finiret etiam supplicium

lib. II. de peccat. merit. cap. 34.

lib. 13. de Civ. DEI. cap. 6.

in Psal. 51.

Supplicium nostrum. Verba satis clara sunt, nec ullâ indigent explicatione. Sed adhuc clarius alibi hæc de re scripsit: *Quid fecit Christus, ut esset proximus nobis? proximus, non hoc, quod nos, sed propè nos. Duo attende. Justus est, immortalis est. In duobus malis tuis una est culpa, altera est pœna. Culpa est, quod injustus es; pœna est, quia mortalis es. Ille, ut esset proximus, tuam suscepit pœnam, non culpam suscepit tuam; & si suscepit, delendam suscepit, non faciendam, Justus & Immortalis, longè ab injustis & mortalibus. Peccator mortalis longè eras à Justo immortalis. Non est ille factus peccator, quod tu; sed factus est mortalis, quod tu. Manens justus, factus est mortalis. Suscipiendo pœnam & non suscipiendo culpam, & culpam delevit & pœnam. Et iterum: Propter hominem Deus homo factus est, ne periret homo. Quem sine concupiscentiâ Virgo concepit, quem Virgo peperit & Virgo permansit, qui vixit sine culpâ, qui est mortuus propter culpam non suam, nam mortuus est propter nostram. Mori venit, peccare non venit. Communicando nobiscum sine culpâ pœnam, & culpam solvit & pœnam. Pœna, quam solvit, est, quæ nobis debebatur post istam vitam. Posteriora hæc verba quamvis indicare videantur, Christum suâ morte æternæ mortis pœnam tantummodò solvisse & delevisse, non item pœnas temporales; in proximè tamen sequentibus ex non uno Augusti testimonio ostendetur, quæ post tristem lapsum fidelibus à DEO immittuntur in hoc Seculo calamitates, non esse pœnas peccati propriè dictas. Ea inter prioribus accedat insuper is etiam Sancti Patris locus, quem Gratianus ex Opere de Baptismo parvulorum suppeditat, parallelus planè, & idem confirmans: *Filius DEI carnem peccati suscepit, & pœnam sine culpâ, ut in carne peccati, & culpa solveretur & pœna.* Notator Gregorianus observat, apud Augustinum longè plenius & rectius ita legi: *Dominus in carnem suam non peccatum transtulit, tanquam Serpentis venenum, sed tantum transtulit mortem, ut esset in similitudine carnis peccati pœna sine culpa, undè in carne peccati & culpa solveretur & pœna.* Quæ ex Augustini locis contra Bellarmini thesin fieri possit deductio, in propatulo est. Imò si id Doctor augustissimus non ita clarè scripsisset, solum testatus, Christum satis pro culpa fecisse, per legitimam ostendi posset consequentiam, sublatam cometipso etiam esse peccati pœnam. Quia enim culpa est pœna causa, sunt Bellarmini ipsius verba, cum ex culpâ nascatur obligatio ad pœnam; sublatâ per Christi omnimodam Satisfactionem causâ, ipsum quoque tolli effectum, esse debet extra dubium. Dum verò ex abundantanti Christum merito mortis & pœnam simul & culpam delevisse scripsit Augustinus, ne per Pœnam intelligamus tantummodò æternam, sed etiam pariter temporalem, idem Bellarminus cavet, alibi notanter in hanc rem scribens: *Merita Christi sunt res vivæ & sacræ, sed non solum justificant corda, verum etiam sunt satisfactoria pro reatu pœnæ tum sempiternæ, tum temporariæ.* Qui itidem mendacii accusans Chemnitium, scribentem, Papias docere, *Christum culpam quidem nostram omnem, sed non totam peccatorum nostrorum pœnam in se suscepisse*, ex eo contrarium posse intelligi monet, quod Indulgentiæ juxta communem doctrinam nitantur thesauro passionis Christi, qui satisfecerit DEO Patri plenissimè pro reatu culpæ, & pœnæ temporaliæ & æternæ omnium peccatorum. Si ergò Christus plenissimo Passionis & Satisfactionis suæ thesauro omnem, & culpæ & pœnæ temporaliæ æquè ac æternæ reatum exhaustit, quid opus est fictione residuarum adhuc pœnarum, quibus DEO per veram Fidem reconciliari post impetratam peccatorum remissionem in hac Vita subjiçiantur & puniantur, ab omni reatu culpæ & pœnæ per Christum liberi & liberati? Et hic repeti debet insignis Augustini locus, quem supra etiam circa Quæstionem de pœnâ Ignis Purgatorii fidelibus ex Sententiâ Papiatarum post hanc vitam sustinenda habuimus, quo Sanctus Pater egregium tulit testimonium de Beneficio gratuitæ remissionis peccatorum, scribens ad Regii Pſaltis normam: *Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: non, in quibus inventa non sunt peccata, sed, quorum tecta sunt peccata. Cooperita sunt, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Tecta verò peccata quare dixit? ut non viderentur; quid enim erat DEI videre, nisi punire peccata? Ut noveris, quia hoc est DEI videre, quod punire peccata.* Clarius & apertius mentem suam significare non potuit Augustinus; hinc quod Bellarminus ad obfusandum hunc locum finxit, nihil ad rem facere, supra in loco est ostensum. Alia Sancti Patris loca, quæ huc non impertinenter referri possent, prætermitto, cum hæc pauca in præsentis possint sufficere, ut plurium subsidio non indigeamus. De secundo jam videamus, quod ex Augustino demonstrandum est, nimirum, Calamitates fidelium, quibus etiam post impetratam remissionem peccatorum in Scholâ Crucis à DEO*

l. 14. contra Faust. cap. 4. Serm. 37. de Verb. Dom.

Serm. 141. de Temp.

c. Filius, dist. 4. de Consecr.

lib. I. de Pœnit. cap. 7.

lib. II. de Indulg. cap. 1. Ibid. c. 10.

in Pſal. 31. vel 32.

conf. Dal. l. 1. de Pœnis & Satisfactione, p. 329. & DEO scq.

DEO subjiciuntur, non esse pœnas peccatorum proprie dictas. Eminent inter plura Augustini de hac re testimonia locus ille, cuius ipse Bellarminus, parcissime quamvis, & non nisi tribus tantum verbis meminit, totidem quoque ejus pro veritate splendorem obtenebrare conatus, qui pleniori textu ob prælustres orthodoxiæ radios hic omnino letenebrare conatur, qui pleniori textu ob prælustres orthodoxiæ radios hic omnino letenebrare conatur, qui pleniori textu ob prælustres orthodoxiæ radios hic omnino letenebrare conatur.

lib. II. de peccat. merit. cap. 33. *Qui dicunt, si peccato mors ista corporis accidisset, non utiq; post remissionem peccatorum, quam Redemptor nobis tribuit, moreremur; non intelligunt, quomodo res, quarum reatum, ne post hanc obsint vitam, Deus solvit, eas tamen ad Fidei certamen sinit manere, ut per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agone Justitiæ. Posset enim & alius hoc non intelligens dicere, Si propter peccatum dixit Deus homini, In sudore vultus tui edes panem tuum, spinas & tribulos pariet tibi Terra; quare & post remissionem peccatorum labor hic permanet, & hæc dura & aspera parit etiam terra fidelium? Item, Si propter peccatum Mulieri est dictum, in gemitu paries; cur etiam post peccatorum remissionem fideles femina eisdem dolores parturiendo patiuntur? Et tamen constat, propter peccatum, quod admisit, illos à DEO primos homines hæc audiisse ac meruisse; nec resistit illis Divini Libri verbis, qua posui de labore hominis, & de parturitione Mulieris, nisi qui prorsus à Fide Catholica alienus iisdem literis adversatur. Pergit Sanctus Pater, & utrique Adversariorum objectioni sequens opponit responsum: Verum quia & tales non desunt, quemadmodum eis hæc Quæstione proposita respondemus, dicentes, ante remissionem esse illa peccatorum supplicia, post remissionem vero certamina exercitationesq; justorum; ita & illis, quos de morte corporis similiter movet, respondere debemus, ut eam peccato accidisse fateamur, & post peccatorum remissionem, ut magnus timor ejus à proficientibus superetur, ad certamen nobis relicta esse non dedignemur. Et post aliqua: Unde mirandum non est, & mortem corporis non fuisse eventuram homini, nisi præcessisset peccatum, cujus etiam talis pœna consequeretur; & post remissionem peccatorum eam fidelibus evenire, ut in ejus timore vincendo exerceatur fortitudo Justitiæ. Bellarminus, ut dixi, hoc testimonium integro textu Lectori Veritatis studiose propinare non ausus, illud ejusque vim nihilominus infirmare tentavit, scribens: Augustinum dicere quidem, pœnas, quibus amicos suos adfligi sinit Deus, esse materiam Virtutis, sed non negare, esse etiam peccatorum ultionem, adducto quodam alio Augustini testimonio, quo ad ductum Regii Platit, & Misericordiam & Veritatem DEI, peccata eorum, quibus ignoscit, impunita non dimittentis, commendavit. At apertissimam vim facit Clarissimis Augustini verbis. Quomodo enim non negat, calamitates, quibus fideles suos post remissionem peccatorum finit adfligi DEUS, esse peccatorum ultionem, dum satis manifestè distinguit inter peccatorum Supplicia ante, & inter certamina atque exercitationes Justorum post remissionem peccatorum? Nihil iterum apertius, nihil clarius, nihil manifestius dicere audeat, & ea porro attendantur, quæ exempli loco de Davide in sequentibus ad rem hanc magis illustrandam adjecit, ubi rationem statûs Protoplastorum post lapsum descripsit: Tale aliquid nobis insinuatum est de Patriarcha David in libro Regnotum, ad quem Propheta cum missus esset, eique propter peccatum, quod commiserat, eventura ex iracundiâ DEI comminaretur mala, confessione peccati veniam meruit, respondente Propheta, quod illud ei flagitium facinusque remissum sit; & tamen consecuta sunt, quæ DEUS fuerat comminatus, ut sic humiliaretur à filio. Quare & hic non dicitur, si propter peccatum DEUS illud fuerat comminatus, cur dimisso (jam) peccato illud, quod minatus fuerat, implevit? nisi quia rectissime, si sic dictum fuerit, respondebitur, illam peccati remissionem factam, ne homo à percipiendâ vitâ æterna impediretur, subsecutum verò illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illâ humilitate exerceatur atq; probaretur. Sic & mortem corporis propter hoc peccatum DEUS homini infixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam Justitiam non ademit. Propter quam verò Justitiam? an DEI? minime id quidem; sed hominis, per impetratam peccatorum remissionem & imputatam ei Justitiâ Christi coram DEO justificati & verè justî, de quâ justificati hominis Justitiâ angustus Doctor in antecedentibus proximè verbis scripsit, mortem corporis post remissionem peccatorum fidelibus evenire, ut in ejus timore vincendo exerceatur fortitudo Justitiæ, nimirum hominis ex Legge divinâ post lapsum morientis. Sed de mortis fidelium respectu proximè ex Augustini Sententia in terrâ agatur demonstratione.*

in Pf. 50. vel 51. Nunc, quid de loco Augustini, Veritatem DEI, ex mente Regii Platit, breviter debet dis eorum peccatis, quibus ignoscit, commendantis, sit habendum, breviter debet moneri

mœneri; in quo præter id, quod verba Sancti Patris expressè non agunt de ipsius peccatoris, sed peccati punitione, observandum venit, quid per peccati punitionem voluerit intellectum? Illud Doctor Augustus in antecedentibus iterum satis clarè indicat, Regium Pſalem in statu humilis Pœnitentiæ coram divino tribunali versantem his verbis adlocutus: *Quid dabis, ut munderis*; vide enim, quem invocas iustum invocas, odit peccata. Si iustus est, vindicat peccata; si iustus est, utique non poteris auferre à domino DEO Justitiam Ejus. Implora misericordiam, sed attende Justitiam. Misericordia est, ut ignoscat peccanti; Justitia est, ut puniat peccatum. Quid ergo? quaris Misericordiam; peccatum remanebit impunitum? Respondeat David, respondeant lapsi; respondeant cum David, ut Misericordiam mereantur sicut David, & dicant, non, Domine, non impunitum erit peccatum meum. Novi Justitiam Ejus, cujus Misericordiam quero. Non impunitum erit; sed ideò nolo, ut Tu me punias, quia ego meum punio peccatum. Ideò, ut agnoscas, peto, quia ego agnosco. In sequentibus hoc illustrat exemplo Ninivitarum: *Prostraverunt se in lacrymis, in jejuniis, in cilicio, & in cinere. Prostraverunt se, genuerunt, fleverunt; Deus pepercit. Stetit Ninive, an eversa est? Aliter quidem videtur hominibus, sed aliter visum est DEO. Ego autem puto, impletum fuisse, quod Propheta prædixerat. Respice, quæ fuit Ninive, & vide, quia eversa est. Eversa est in malo, edificata in bono; sicut eversus Saulus persecutor, edificatus Paulus prædicator. Vides, Lector, Veritatis studiosissime, Sanctum Patrem non agere de punitione peccatoris, sed peccati, neque etiam de punitione, quæ à DEO immediate proveniat, varias calamitates hominibus etiam post remissionem peccatorum immitte, sed de punitione, quæ homo verè & serio pœnitens peccata per debitam eorum detestationem externis etiam gestibus & signis in semetipso punit, deo ob accedentem veram Fidem & amplexum Promissionum Evangelicarum ratihabente hanc punitionem ac Gratia oculis respiciente. De ipsis verò hujus Seculi calamitatibus doctor Augustus alibi sequentem in modum pronuntiat, Parabolam Christi Evangelicam de Viti viniferâ explicans: *Summus ille vitis agricola aliter parat salsam sarmentis* l. 22. contra Faust. cap. 20. *fructuosus, aliter infructuosus; non tamen parcat, nec probis, nec reprobis; illis purgandis, his amputandis. Nullus enim hominum tanta est justitia præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem; nisi fortè nec Paulum illi Apostolum inter justos numerant, qui quamvis humiliter & veraciter sua præterita fateatur peccata, tamen se ex fide Jesu Christi justificatum esse, gratias agit. An verò illi parcebat ille, quam vani non intelligunt dicentem: Non parcam, nec justo, nec peccatori? Et postquam hoc exemplum latius deduxit, ad priora rediens, hanc subjecit applicationem: *Hinc intelligitur, quomodo non parcat impius, tanquam sarmentis ad combustionem præcis, quando justis non parcat propter perficiendam purgationem. Nam & ipse Petrus testatur, hac illius voluntate fieri, qui in libris veteribus ait, Non parcam, nec justo, nec peccatori. Cum ergo ex voluntate Spiritus DEI beneficientes patiuntur, non parcat justis; cum autem malefacientes, non parcat peccatoribus; secundum illius tamen voluntatem sit utrumque, qui ait: Non parcam, nec justo, nec peccatori; illum flagellando ut filium, hunc puniendo ut impium. Manifestum & hic discrimen facit Pater Sanctus inter punitionem impiorum & inter flagellationem filiorum, aliter de hac, quam illa judicans, id quod alibi porro uberius exponit: *sicut miseretur Pater filiis, sic miseretur* in Pf. 102. vel 103. *est Dominus timentibus eum. Iam serviat, quantum vult, Pater est. Sed flagellarunt nos, & adflixit nos, & contrivit nos; Pater est. Fili, si ploras, sub Patre plora; noli cum indignatione, noli cum typho superbia. Quod pateris, undè plangis, Medicina est, non pœna; castigatio est, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hereditate. Noli attendere, quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in Testamento. Non contrarius sibi est Augustinus, dum in flagellatione vel castigatione paternâ & negat & agnoscit esse pœnam. Negat esse pœnam propriè dictam, agnoscit esse pœnam ad mentem ejus, qui non ritè & distinctè de Judiciis DEI judicare didicit, castigationem Patris loco pœnæ servilis habens.****

Tertia nunc super adhuc est demonstratio, videlicet, *Mortem corporis, quæ in se est pœna peccati, verè tamen fidelibus post impetratam à DEO peccatorum remissionem non esse pœnam propriè dictam. Eam ante, quam Augustini testimoniis firmam porro exhibeamus, instantiæ Bellarmini occurrendum est, quam de parvulis post Baptismum morientibus dedit, adserens, eis sine dubio peccatum originale per Baptismum esse dimissum, neque ejus esse etatis, ut virtutes exercere possint, & tamen in peccati pœnam eos ante legitimū* tempus

tempus rapi; & ipsius quidem Bellarmini verbis, quæ in capite hujus libri primo habet, scribens, *Certum esse, univ[er]sum p[œ]n[æ] debitum condonare Deum, cum primum per Baptismum nos recipit in filios.* Atqui si univ[er]sum p[œ]n[æ] debitum per Baptismum parvulis condonat DEUS, eos recipiens in filios, non video, quam verè Bellarminus scribere potuerit, parvulos post Baptismum morientes in peccati p[œ]nam ante tempus legitimum rapi, quâ tamen instantiâ Augustini de fidelium morte sine alicujus p[œ]n[æ] respectu Sententiam infringere voluit Bellarminus; qui insuper, dum ex eodem Augustino voluit probare, *Mortem corporis & Virtutis exercitium & peccati p[œ]nam simul,* nimirum verè fidelibus, de quibus est Controversiâ, post impetratam remissionem peccatorum esse, vim & hic facit menti Patris augustissimi, quam ipse explicat quam optimè. Verba, quæ Bellarminus partim excipit, partim ad ea respexisse putandus est, hæc sunt, *Quid est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie fideliterque tolerando auget meritum Patientiæ, non aufert vocabulum p[œ]n[æ].* Ita cum ex hominis primi perpetuâ propagine procul dubio Mors sit p[œ]na nascentis, tamen si pro Pietate Justitiæque pendatur, sit gloria renascentis; & cum sit peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato. Sed quæ hic minus apertè videtur scripsisse, capite tertio antecedente apertius exhibuit, scribens: *Non dissimulanda nascitur Quæstio, utrum reverà Mors, quâ separantur Anima & corpus, bonis sit bona; quia si ita, quomodo poterit obtineri, quod etiam ipsa sit p[œ]na peccati? Hanc enim primi homines, nisi peccavissent, perpessitque non fuissent. Quo igitur pacto bona esse potest bonis, quæ accidere non possit, nisi malis? Sed rursus, si non nisi malis possit accidere, non deberet bonis esse bona, sed nulla; cur enim ulla esset p[œ]na, in quibus non essent puniendæ? Quapropter fatendum est, primos quidem homines ita fuisse institutos, ut si non peccavissent, nullam mortis genus experirentur; sed eosdem primos parentes ita fuisse multatos morte, ut etiam, quidquid ex eorum stirpe esset exortum, eadem p[œ]nâ teneretur obnoxium; non enim aliud ex eis, quàm quod ipsi fuerant, nasceretur. Pro magnitudine quippè culpæ illius naturam damnatio mutavit in pejus, ut quod penaliter præcessit in peccantibus primis hominibus, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus ceteris.* Et in capite quarto sequenti: *Si quem verò morietur, cur vel ipsam patiantur, si & ipsa peccati p[œ]na est, quorum per Gratiâ reatus aboletur? jam ista Quæstio in alio Opere nostro, quod inscripsimus de Baptismo parvulorum, (ex quo Gratianus quoque paulo ante testimonium exhibuit,) tractata ac soluta est, ubi dictum est, ad hoc relinquere Animate experimentum separationis à corpore, quamvis ablato jam criminis nexu. Quoniam si regenerationis Sacramentum continuo sequeretur immortalitas corporis, ipsa Fides enervaretur, quæ tunc est Fides, quando expectatur in spe, quod in re nondum videtur. Fidei autem robore ac certamine in majoribus dumtaxat ætatibus etiam mortis fuerat superandus timor, quod in Sanctis Martyribus maxime eminebat; cujus profectò certaminis nulla esset victoria, nulla (etiam) gloria, quia nec ipsum omnino possit esse certamen, si post regenerationis lacrum Sancti jam non possent mortem perpeti corporalem. Cum parvulis autem baptizandis quis non ad Christi gratiam propter eâ potius curreret, ne à corpore solveretur, atque ita non invisibili premio fides probaretur, sed jam nec Fides esset, confessum sui operis querendo & sumendo mercedem? Nunc autem majore & mirabiliore gratiâ Salvatoris in usus Justitiæ p[œ]na peccati est conversâ. Tunc enim dictum est homini, *Morieris, si peccaveris; nunc dicitur Martyri, morere, ne pecces. Tunc dictum est, Si mandatum fueritis transgressi, Morte moriemini; nunc dicitur, Si mortem recusaveritis, Mandatum transgrediemini. Quod tunc fuerat timendum, ut non peccaretur, nunc suscipiendum est, ne peccetur.* Sic per ineffabilem DEI Misericordiam & ipsa vitiorum p[œ]na transit in arma Virtutis, & sit Justi meritum etiam supplicium peccatoris; tunc enim Mors est acquisita peccando, nunc impletur Justitiâ moriendo. Verum hoc in Sanctis Martyribus, quibus alterutrum proponitur à persecutore, ut aut deserant Fidem, aut subferant Mortem; Injusti verò malunt credendo perpeti, quod primitus iniqui non credendo sunt perpessi. Nisi enim peccassent illi, non morerentur; peccabunt verò isti, nisi moriantur. Mortui sunt ergo illi, quia peccaverunt; non peccant isti, quia moriuntur. Factum est per illorum culpam, ut veniretur in p[œ]nam; sit per istorum p[œ]nam, ne veniatur in culpam, non quia Mors bonum aliquod facta est, quæ antea malum fuit, sed tantam Deus fidei præstitit gratiam, ut Mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum ferret, per quod transiretur in vitam. Integer exscribi debuit locus, ut mens Sancti doctoris eò clarius pateret, ac manifestum fieret, an, quod Bellarminus vult, agnoverit & docuerit, Mortem fidelibus post impetratam remissionem peccatorum, & Virtutis exercitium simul & p[œ]nam peccati esse. Et si enim non semel mortem dicit peccati p[œ]nam, non id alio tamen facit respectu,*

lib. 11, de
Civ. DEL.
cap. 6.

specu, quàm hominis in peccati statu ante factam cum DEO reconciliationem adhuc versantis; aliter omnino de eâ sentiens, hominem in Statu Gratiæ intuitus, id quod alibi etiam uberrimè exposuit, eo præprimis in loco, qui in antecedente *secundâ* demonstratione primus fuit, ubi Mors in earum rerum numero ponitur, quas ad Fidei certamen *finis* lib. II. de peccat. merit. cap. 31.

in piis manere Deus, hâc etiam expressa notatione observatu dignissima: *Poterat DEUS hoc etiam donare credentibus, ut neque corporis experirentur Mortem. Sed si hoc fecisset, carni quædam adderetur felicitas, minueretur autem Fidei fortitudo; sic enim homines Mortem istam timent, ut non ob aliud felices dicerent Christianos, nisi quod mori omnino non possent. Ac per hoc nemo propter illam vitam, quæ post istam Mortem beata est futura, per virtutem ipsius etiam contemenda Mortis ad Christi gratiam festinaret, sed propter removendam Mortis molestiam delicatius crederetur in Christum. Plus ergo præstitit gratiæ, plus fidelibus suis sine dubitatione donavit. Quid enim magnum erat, videndo, non mori eos, qui crederent, credere, se (quoque) non moriturum. Quanto est majus, quanto fortius, quanto laudabilius, ita credere, ut se speret moriturus sine fine victurum!* Post ea, quæ occasione Oraculi Apostoli Theof. 4

stolici subjunxit de mutatione eorum, qui tempore resurrectionis mortuorum vivent, scribens: *Hoc quibusdam in fine largietur, ut Mortem istam repentinâ commutatione non sentiant, sed simul cum resurgentibus rapiantur in nubibus obviam Christo, & sic semper cum Domino vivant, hâc in retractationibus addita monitione, se alium diligentiori de hâc re* 1. II. c. 33.

inquisitioni locum servasse, notanter illud porro adposuit: Rectè illis, quia non erunt jam posseri, qui propter hoc credant, non sperando, quod non vident, sed amando, quod vident; quæ Fides est eorum vis & debilis, nec Fides omnino dicenda. Accedat alius æquè illustris locus, lib. 13. de Trin. c. 16

hanc rem egregiè tractans: *Quamvis & ipsa Mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit, bonus tamen usus ejus gloriosissimos fecit Martyres. Et ideo non solum ipsa, sed omnia Seculi hujus mala, dolores laboresque hominum, quæquam de peccatorum, & maxime de Originalis peccati veniant meritis, unde facta est & ipsa Vita mortis vinculo obstricta; tamen & remissis peccatis remanere debuerunt, cum quibus homo pro Veritate certaret, & unde exerceretur Virtus fidelium, ut novus homo per Novum Testamentum inter mala hujus Seculi novo præpararetur Seculo, miseriam, quam ista damnata meruit vita, sapienter tolerans, & quia sineur, prudenter gratulam, Beatitudinem verò, quam liberata vita sine fine futura est habitura, fideliter & patienter expectans: Idem alibi sequentibus docet verbis: Regnum* Epist. 89. ad Hilar. Quæst. 5.

Mortis non est in eis, qui Christi gratiâ renati ad Ejus regnum pertinent, quoniam Mors temporalis, quamvis & ipsa de originali delicto sit propagata, corpus interim in eis, animam verò ad pœnam non trahit, ut ea per Gratiâ renata jam non moriatur in Gehennâ, id est, à vitâ DEI non alienetur, non separetur; temporalis autem Mors corporis etiam in iis, qui morte Christi redimuntur, relinquatur interim ad exercitationem Fidei & præsentis luctationis agnitionem, in quo & Martyres certaverunt, absumatur verò & ipsa in renovatione corporis, quam resurrectio pollicetur, ibi enim penitus absorbebitur Mors in victoriam, cui modo Gratiâ Christi regnum admittit, ne suorum animas ad Tartari trahat pœnas. Et huc non impertinet referri potest augustissimi doctoris sequens contra Pelagianos disputatio, in gratiam Lectoris studiosi omnino adscribenda: Quomodo dicunt, solam Mortem ad nos transisse 1. IV. contra duas Epist. Pelag. c. 4.

per Adamum? Si enim propterea morimur, quia ille mortuus est, ille autem mortuus est, quia peccavit; pœnam dicunt transire sine culpâ, & innocentes parvulos injusto puniri iudicio. trahendo Mortem sine merito Mortis, quod de uno & solo Mediatore DEI & hominum, homine Iesu Christo Fides novit Catholica, qui pro nobis Mortem, hoc est, peccati pœnam sine peccato subire dignatus est. Sicut enim solus ideo factus est hominis filius, ut nos per illum DEI fieremus filii; ita solus pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam, ut nos per illam sine bonis meritis consequeremur Gratiâ, quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec Ei aliquid mali. Commendans ergo dilectionem suam in eos, quibus erat indebitam daturus vitam, indebitâ pro eis pati voluit mortem. Hanc singularem Mediatoris prærogativam Pelagiani evacuare conantur, ut hoc jam non sit in Domino singulare, si Adam ita propter culpam passus est mortem debitam, ut parvuli ex illo nullam trahentes culpam patiantur mortem indebitam. Quamvis enim bonis per Mortem conferatur plurimum boni, unde nonnulli congruenter etiam de Bono Mortis, disputaverunt; tamen & hinc quæ prædicanda est nisi Misericordiâ Dei, quod in bonos usus convertitur pœna peccati! Adplicetur hæc, quæ S. Pater de morte parvulorû contra Pelagian. juxta hypothefes eorum habet, ad præsentem de fidelium morte controversiam, & constabit, ex quâ ratione Doct. august. Pelagianos arguit, eos evacuare singularem unicus Mediatoris Christi prærogativâ, statuendo, parvulos puniri trahendo mortem sine merito

mortis, ex eadem quoque argui posse Bellarminum & sequaces, dum constanter, vel pertinaciter potius docent, fideles puniri Morte sine reatu ejus, à quo Christi Morte sunt liberati. De ipsâ Pelagianorum Sententia circa mortalitatem primi hominis in Statu concreatâ Integritatis ante lapsum, suo infra loco ex Augustino, ejusque novitio Interprete *Iansenio* fortè agetur. Claudat nunc agmen testimoniorum Augustini, eorum in primis, quæ ad secundam pertinent demonstrationem, quod publicè in Ecclesiâ suos docuit auditores: *Tota generis humani miseria, in quâ gemit Mundus, dolor medicinalis est, non Sententia pœnalis*: Si respectu totius humani generis, multò magis respectu verè fidelium, & DEO ex Fide reconciliatorum, ut in antecedentibus non semel est dictum. Quæ omnia hæcenus ita debent intelligi, non quasi in consideratione calamitatum temporalium, quibus etiam post impetratam à DEO remissionem peccatorum fideles in hoc Seculo sunt obnoxii, cum Augustino omnem pœnæ etiam materialis respectum abesse doceant Evangelici, sed tantum ut formalem & propriè ita dictam pœnæ denominationem ab eis auferant, non ignari, Augustinum aliàs & ibi non semel in describendis fidelium calamitatibus uti hoc *pœnæ* vocabulo, sed in sensu latiori & generaliori, quo omne, quod homini etiam iustissimo accidit, sub hac notione communi venire solet. Et ita intelligendus est etiam locus, quem supra in Controversia de *Ignis Purgatorio* contra Bellarminum vindicavimus, ex ultimo in Johannis Evangelium Tractatu desumptus, quem *Gratianus* etiam Juri Canonico inseruit: *Productior est pœna, quàm culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illâ finiretur & pœna. Ac per hoc vel ad demonstrationem debita miseria, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariam Penitentiae temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* dicit pœnam Augustinus, id quod fideles in hoc Seculo patiuntur, non quasi verè iis pœna sit, sed quia pro pœna habetur, & ante Gratiam DEI impetratam verè pœna fuit. Ita autem hic & alibi, ubi vocabulum hoc occurrit, intelligi necessum est, nisi contrarium sibi metipsum fuisse Augustinum, ac uno etiam eodemque loco contraria inter se Eum scripsisse, velimus dicere, dum expresse in ultima *secundæ* demonstrationis Sententia legitur: *Quod pateris, Medicina est, non Pœna.* Et statim in proximè sequentibus: *Noli attendere, quam habeas pœnam in flagello, sed quem locum in Testamento.* Ecce, in verbis immediate coherentibus, quam negat esse pœnam, pœnam esse dicit, duplici nimirum sensu unius ejusdemque vocabuli, ibi proprio, hic autem improprio; neque aliter, nisi hac ratione mens Sancti Patris potest salvari.

c. Productior, diff. 3. de Pœn.

CAPVT QVARTVM,

De Quæstione,

An opera laboriosa, quibus pœnæ temporalis Reatus expiatur, spontè suscipi possint vel debeant?

QUIA in antecedentè tractatione ex Augustino demonstratum, nullum fidelibus per Christum reconciliatis post impetratam peccatorum remissionem pœnæ temporalis formaliter ita dictæ reatum super amplius esse, omninò super sedere possemus præcipue Quæstionis excussione, quia ex priori dependet, & eâ per Augustinum negativè decisa, hanc quoque ab Eo adfirmari non posse, esset debet indubium. Ne tamen & hic muneri suscepto deesse videat, præprimis dum & hic Bellarminus ad Augustini provocat auctoritatem, paucis ostendatur necessum est, Bellarminum suo more Augustini auctoritate iterum abuti. Binis autem Sancti Patris utitur, vel potius, ut dixi, abutitur testimoniis Bellarminus, primo quidem ex allegatione Venerabilis, ut audit, *Beda*, sequentia Doctori augusto verba, ad Pauli Oraculum, *Si nos ipsos judicaremus, &c.* ex libro de Pœnitentiâ adscribentis: *Pro illis peccatis, quæ Legis Decalogus continet, & de quibus apud Apostolus, qui talia agunt, Regnum DEI non possidebunt, &c. in Pœnitentiâ majorem in se quis severitatem debet exercere, ut à seipso judicatus, non judicetur à Domino.* Videntur sequentia. Secundo autem, ut respondeat ad ejusdem apostoli monitum, quod corpori honorem haberi hortatus est. *Si enim, inquit Bellarminus, Augustinum audiamus, tantum aberit, ut hic Locus sit contra nos, ut etiam maximè faciat pro nobis. Nam ex Eius Sententiâ Paulus reprehendit quosdam, qui ex Superstitione corpus adstigeant, non autem, ut illud ob Animæ salutem castigarent, ubi corporalis adstictio spontè adsumpta laudatur, sed finis melius reprehenditur. Videntur autem, inquit Apostolus, quæ isti faciunt, rationem habentia Sapientiæ in superstitione & humilitate, non ad parcendum corpori, non in honore aliquo*

I. Cor. II.

Coloss. II.

aliquo ad saturitatem carnis, hoc est, Videtur quidem abstinentia istorum habere quasdam rationes Sapientiæ, quia hoc facere videntur ad humiliandum cor & castigandum corpus, non honorandum & saturandum; tamen quia ex superstitione id faciunt, non ex verâ Pietate, nihil eis prodest. Ad primum ante, quam ex ordine respondeam, addere libet crisin Bellarmini Philologicam super verbo *draxiviv*, quo Apostolus hic usus est, vel potius Philolog. Ejus Anticriticam Chemnitio oppositam, ut contrariæ aliorum Interpretum Papæorum de eo observationes juxta hanc positæ iterum aliquod tam insigniter commendati in Scripturæ Oraculorum ab utrâq; parte controversorum expositione consensus testimoniū possint exhibere, & simul Augustini autoritatem Evangel. restituere. Ubi enim Bellarminus Augustiss. Doctoris verba ad laudatum prius Apostoli Oraculum ex Bedâ post alia Patrum loca adscripsit, de suo ad junxit sequentia: *Ex quo intelligimus, parum ad rem facere, quod Chemnitius notavit, Apostolum non verbo *rhiviv*, sed *draxiviv* usum esse, cum ait, Si nos judicaremus, &c. Siquidem Apostolus per vocem *draxiviv* intelligit quidem discutere ac discernere, ut vox ipsa propriè significat; sed haud dubiè voluit, ut, qui se discutunt, si malefacta in se inveniunt, ea corrigant & puniant, ne à Domino gravius puniantur, ut Augustinus rectè exposuit, quem sequitur Anselmus in eundem locum, & ab his non discrepat Commentarius, qui Ambrosio tribuitur, qui per *draxiviv* intelligit errata non solum discernere, sed etiam corrigere, cum quibus apertissimè sentit Chrysostomus. Nunc videamus, quid celebratissimus hodiè inter suos Epistolarum Apostolicarum Interpretes Esthivus de hâc Bellarmini Philologia statuatur: Dijudicare hoc loco trifariam ab Interpretibus exponitur. Primum, ut idem sit, quod judicare posteriore loco, i. e. punire, quo modo multi intelligunt Latini, hoc sensu: Si nosmet ipsos pro nostris peccatis puniremus, nimirum, per voluntarias afflictiones & satisfactiones manû Domini præveniendò, non utique ab Eo gravius flagellaremur, sive in hoc Seculo, sive in futuro. Qui sensus manifestè confirmat doctrinam de Satisfactione fidelium pro peccatis catholicam. Alio modo, ut dijudicare sit condemnare, etiam citra punitionem. Sic Græci intellexerunt, inter quos Theophylactus: Non dixit, si nos ipsos puniremus, sed tantum, si judicaremus & condemnarem nosmetipsos, non jam sic condemnaremur à Domino, verum & præsentia & futura effugerem⁹ supplicia. Tertio, ut dijudicare sit examinare & discutere, ita sensus est: Quod si nosmetipsos examinaremus, i. e. probaremus, ac non nisi (benè) probati Mensam illam Sacram accederemus, prout antè dixi, Probet seipsum homo, &c. non utiq; judicaremur, i. e. puniremur à Deo ob indignam corporis & sanguinis Domini functionem. Sic exponunt Haymo, Lyranus, Cajetanus, & alii ex Latinis non-nulli, sanè quam probabiliter ac præcedentibus congruenter, sicut Commentator Ambrosianus, qui legit & exponit, discernere; nam quod prima habebat Expositio, id à Græcis apertè rejicitur, ac merito, siquidem nec Græcum *draxiviv*, nec Latinum dijudicare, significat punire, sed usitatissima ejus significatio est, quam tertio attulimus loco, juxta quam paulo ante etiam est dictum, non dijudicans corpus Domini, &c. Et quia Bellarm. ad Chrysostomi quoq; consensum provocat, dum de vocabuli ad Græcorum literaturam pertinentis Sensu agitur, non impertinenter verba Ejus hic leguntur, quæ post *Gvillandum*, cujus supra etiam facta fuit mentio, *Novarinus* sequentia ad hoc Apostoli Oraculum laudat: *Non dixit, si castigarem nosmetipsos, si puniremus; sed solum, si vellemus agnoscere peccata, si nosmetipsos condemnare, si de delictis ferre Sententiam, liberaremur ab eo, quod & hic & illic est Supplicio. Nam qui seipsum condemnavit, duplici ratione DEO Mplacatur, & quod peccata agnovit, & quod in futurum sit tardior, scilicet ad peccandum. Hoc sensu etiam Fromondus post omnes ferè alios paraphrasin in Pauli hæc verba scripsit: Si nosmetipsos dijudicaremus, probaremus examinando & discutiendo nostram Conscientiam, & peccata, si qua in eâ latent, condemnando ante, quam ad Sacram accedamus Mensam; non utiq; judicaremur, puniremur, seu condemnaremur ad morbos & illas corporales pœnas ob indigna manducationis peccatum. Judica nunc, Lector optime, & dijudica, num Bellarminus non solum in probando, opera laboriosa, quibus pœna temporalis reatus expietur, spontè suscipi posse, potuerit sincerè ad Augustini provocare consentium; sed etiam, si August. in Sensu vocabuli *draxiviv* haberet consentientem, Ejus autoritate potius & aliorum quorundam Interpretum Latinorū, quam Græcorum, Linguæ, quæ scripsit Apostolus, magis peritorum nobis sit standum? Judica etiam & dijudica, an verba, quæ Beda ex Augustino exhibet, aliquid habeat, quod ad spontaneam & propriam videri tantum possit pertinere pro expiando pœnæ temporalis reatu satisfactionem, & non potius ad publicam in publicis Ecclesiæ scandalis Pœnitentiam? Judica porrò & dijudica, quid de Bellarmini in adducendis Patribus aliis sinceritate sit statuendum, qui in hujus Oraculi Sensu ad suas partes trahendo apertissimè secum facere scribit Chrysostomum, quem alii Interpretes Papæi,**

unà cum *Theophylacto*, Chrysolomi Epitomatore, aliis adjungunt ac Bellarmino auferunt. Si hoc est, ex autoritate Patrum, & in primis *Augustini*, Fidei controversias decidere, nescio, an adeò magna Bellarmino inferatur injuria, si dicam, hoc esse in re ferià ludere, imò, Lectorem Veritatis studiofum sub fictitiâ commendatâ Patrum autoritatis larvâ, cum præsentissimo intentâ Seductionis & hinc amittendâ Salutis æternæ periculo fallere, ac expansis errorum laqueis irretire; id quod manifestum porrò fiet, si aliterum quoque *Augustini* testimonium, quo Bellarminus in præsentis Quæstione utitur, brevissimo subjiciatur Examini, ac objectio Evangelicorum contra Pontancam corporis afflictionem & susceptam pro reatu penæ temporalis expiando Satisfactionem ab oppositione *Augustini* LIBERETUR. Res ita habet. *Paulinus* inter plures alias Quæstiones hanc etiam *Augustino* solvendam proposuit: *Quod Apostolus ait*, Ad non parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis; *proprus hæc parum intelligo*, quia in eadem sententiâ magna mihi videtur esse discretio. Arbitror enim, Eum de abstinentiâ quâlibet fictâ vel inutili, qualis solet ab hæreticis adfectari, hoc dicere, ad non parcendum corpori; quod autem adjecit, non in honore aliquo, quia Sancti operis speciem non in Fide veritatis exercentes nullius Gloria honore vel fructu agunt, quod in magnâ erroris perverfi reprehensione conficiunt, transfigurantes se in ministros Justitiæ. Sed quod adjecit, ad saturitatem carnis, contrarium mihi videtur illi, quod dixit, ad non parcendum corpori;

1. Cor. 9. videtur enim mihi ille non parcere corpori, qui carnem jejuniis domat, sicut Apostolus dicit, lividum facio corpus meum, & in Servitutem redigo, à quo opere saturitas carnis aliena est. Nisi forte & ipsam saturanda carnis curam, quæ maxime religionis observantiam prætendentibus probrosa est, non parcere corpori dixit, secundum illud honestatis præceptum, quod alibi dicit, ut unusquisque Vas suum honorificè noverit possidere, ut hostiam vivam & placentem DEO suum exhibeat corpus, non in saturitate carnis; quia dissentio corporis

1. Theff. 4. necat Animæ sobrietatem, & inimica est castitati. Hactenus Paulini interrogatio, ad quam Rom. 12. *Augustinus* ita respondet: Cur, inquis, hæc dicit Apostolus habere rationem Sapientiæ, quæ ita reprehendit? Dicam, quod & ipse in Scripturis advertere potes, sapientiâ sapè positam in hujus etiam Mundi sedibus, quam expressius dicit Sapientiâ hujus Mundi; nec moveat, quod hic non addidit, Mundi. Non enim & alio in loco; cum ait, ubi Sapiens, ubi Scriba,

Epist. 59. addit, hujus Mundi, & tamen hoc intelligitur. Sic & ista ratio Sapientiæ; nihil enim ab eis dicitur in hujusmodi superstitionis observationibus, ubi non Mundi hujus elementa (alias, elementorum) naturarumq; (rectius forte, naturaliumq;) rerum ratio quædam Sapientiæ reddi videatur. Nam & cum dicit, Cavete, ne quis vos decipiat per Philosophiam, non ait, hujus Mundi; & quid est Philosophia, nisi studium Sapientiæ? Sunt ergo, inquit, ista rationem Sapientiæ quidem habentia, id est, de quibus aliqua reddatur ratio secundum elementa hujus Mundi. & principatus ac potestates in observatione & humilitate cordis id enim agunt ista, ut Superstitionis vitio cor humilietur AD NON PARCENDUM CORPORI, dum istis fraudatur scis, quibus abstinere compellitur, non in honore aliquo ad saturitatem carnis, non quod honoratus illo magis cibo, quàm hoc saturaretur Caro, cum ad ejus necessitatem non pertineat, nisi quolibet apto valetudini alimento refici atque fulciri. Quantum postiora hæc verba contra differentiam ciborum in commendatione jejunii male ita dicti possint inservire, fortè suo infrâ loco indicabitur, quorsum omninò debet referri. Nunc addantur hic, quæ utrobique apud *Paulinum* & quæ ac *Augustinum* in antecedentibus ad Oraculum Pauli, de quo agitur, observatu digna leguntur, & luce meridianâ clarius patebit, quàm impudenter Bellarminus scripserit, ex *Augustini* Sententiâ hoc Pauli Oraculum pro sua inservire Sententiâ, dum ipse Bellarminus non potuit non agnoscere, Apostolum ex mente Sancti Patris eos reprehendisse, qui corpus adflugebant ex Superstitione. Atqui illud ipsum est, cur Evangelici abstinendum censeant à spontè susceptam operationem, quibus penæ temporalis reatus expiari dicitur, quia non nisi Superstitionem Deo ingratiâ redolet, & quod non planè nullam hic quoq; meretur observationem, infert Christi merito injuriam. Quæ *Hugo Grotius*, aliàs non semel *Papizans*, non tam ad hujus loci illustrationem, quàm obscuratorem in gratiam eorum, quibus posttentatas religiones alias demùm placere desideravit, è multiplicis literaturæ, quæ satis fuit instructus, penu collegit, *Dorscheus* in Indice Iniquitatis Moguntinorum vocavit ad

Port. III. examen, dignus, qui hic legatur. Ex superabundanti nunc eam subjungo inge-

§. 33. P. nuam Bellarmini de apostasia hodiernæ à veteri Ecclesia confessionem, sequentibus

79. & seq. exhibitam verbis: *Quamvis opera laboriosa penitentibus olim ante Absolutionem imponebantur & explebantur; tamen non fuisse id absolutè necessarium, sed potuisse etiam expleri post Absolutionem, ut hoc tempore fieri solet; ac per hoc Satisfactiones illas*

illas non tam ad culpam, quàm ad pœnam temporalem expiandam referri consuevisse, ex illis perspicuum est Conciliis, quæ in articulo Mortis jubent pœnitentibus communionem dari, etiam si nulla aut non plena præcesserit Satisfactio, sed tamen admoneri, ut si fortè supervixerint, integrè pœnitentiam sibi injunctam expleant. Non dicam, quæ Bellarm. hic de antiquorum Satisfactionibus habet, ut antè in similibus non semel fuit observatum, ad publicam, non privatam pertinere Pœnitentiam, adeoque nihil omninò facere ad præsens Institutum, quod nemo non attentè hæc considerans videt; illud tantum noto, ubi Synodus Tridentina ante hoc Seculum, in recensione partium Pœnitentiæ, nominatim Absolutioni postposuit Satisfactionem, de hujus definitionis sensu apud Interpret. Concilii non unam fuisse Sententiam, *Launojo* Sorbonista teste, qui de Controversiâ hæc inter fratres Cadmæos peculiari egit tractatu, stans, quod mirum & aliàs insolitum, juxta literam & ordinem ibi præscriptum à partibus *Bellarmini*, & consuetudinem hodiè apud Romanos communiter receptam, præstandæ nimirum post susceptam Absolutionem Satisfactionis contra quosvis alios, plus quàm quadraginta Scriptorum ex illo tempore celeberrimum auctoritate nixus, acriter defendens. Titulus libri est, *de Mente Concilii Trid. circa Satisfactionem* (vel potius ordinem Satisfactionis,) in *Sacram. Pœnitentiæ*, qui antè paucos annos cum pluribus aliis ejusdem generis iteratò prodit, non indignus, qui cum cæteris ad cognoscendam Doctorem Ecclesiæ Romanensis in rebus Fidei harmoniam quàm diligentissimè evolatur. In specie, quæ de operibus satisfactoriis pro reatu pœnæ temporalis expiando habet in capite sexto Bellarminus, nominatim, quod Augustinus Eleemosynarum largitionem vocat *Sacrificium*, & abstinentiæ à Vino vel carnibus ali-quod *meritum* adscribere videtur, infrà in tractatione *de Bonis operibus in particulari* expenditur, quemadmodum suo etiam loco vocabitur ad Examen, quod capite octavo per *Denarium*, qui à Patrefamiliâs in notâ Christi parabolâ operariis pro mercede fuit promissus, Patres communi consensu, & inter eos Augustinum quoq;, Vitam intellexisse æternam scripsit, ut potè quæ hic propriè nullum habere possunt aut debent locum.

Sess. 6.
cap. 14.v. cap. 8.
n. 31. p.
74. & 75.

Matth. 20

CAPVT NONVM, & seqq.

De Quæstione,

An DEO satisfieri possit pro Pœnâ temporali?

POST aliorum plerorumq; Ecclesiæ Patrum testimonia, quibus adfirmativam defendere laboravit Bellarminus, quatuor ex Augustino etiam laudavit, ut Eius auctoritate idem obtineat: Primum hoc est: *In melius Vita est mutanda, & per Eleemos. Deus est propitiandus, non ad hoc emendus, ut ea semper impune liceat committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi quamvis facta jam miserando deleat peccata, si non Satisfactio congrua negligatur.* Et cap. sequenti: *De quotidianis autem brevibus levibusq; peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit.* Secundum: *Nihil aliud facit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id, quod mali fecit, impunitum esse non sinat; eo quippè modo sibi non parcenti ille parcat, cujus alium justumq; Judicium nullus contemtor evadit.* Tertium: *Veniat peccator ad Antisites, per quos in Ecclesiâ ministrantur claves, & tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis Sacramentorum accipiat suæ Satisfactionis modum, ut in obserendo cordis contribulati Sacrificio devotus & simplex id tamen agat, quod non solum illi profit ad suscipiendam Salutem, sed etiam cæteris ad exemplum.* Et infra capite post decimum quinto: *Non sufficit mores in melius commutare & à malis recedere factis, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat DEO, &c.* Quartum deniq;: *Implora Misericordiâ, sed attende justitiâ. Miseric. est, ut ignoscat peccato; justitia est, ut puniat peccatum. Quid ergo? queris Misericordiâ? peccatum remanebit impunitum? Respondeat David, respondeant lapsi; respondeant cum David, ut Misericordiâ mereantur sicut David, & dicant: Non, Domine, non erit impunitum meum peccatum. Sed ideo nobis, ut in punias; quia ego meum punio peccatum.* Bellarm. loco Gloffiæ de suo addit: *Hic certè locus aperte convincit, nostram Satisfactionem non requiri solum ad exemplum vel Disciplinam Politicam, sed ut injuria DEO facta compensetur, & Divina satisfiat justitia.* Et quia, quæ Lutherus, Melanthon, Chemnitius, alii in genere de his Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorem testimoniis observarunt, invalida esse censet Bellarminus, ideo ut ad eorum speciale deveniatur examen, opus est, ubi fuerit præmissum ejus ad objecta à *Calvino* præpmissis ex Augustino contra Satisfactionis debitum aut meritum testimonia responsum. Et quidem dum exindè, undè Bellarminus primum desumpsit testimonium, Calvinus ostendit, non DEO, sed Ecclesiæ satisfieri; regressit Bellarminus,

in Enchir.
cap. 70.Epist. 54.
ad Maced.Homil.
50. ex lib.
50. Homil.
c. 11.in Pl. 50.
vel 51.

in Enchir.
cap. 65.

dicere quidem eo in loco Augustinum, oportere penitentes Ecclesie satisfacere, sed non addere illam negationem, non DEO. Addit, idem non uno in loco Augustinum disertis scribere verbis, ipsi etiam DEO esse satisfaciendum, in eodem videlicet Enchiridio, dum verbis sub initium citatis ait: Per Eleemolynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, &c. Et iterum: De quotidianis levibusque peccatis quotidiana oratio fidelium satisfacit. Ubi, inquit Bellarminus, licet non exprimat, cui, sine dubio tamen intelligitur DEO. Nec enim pro quotidianis ac levibus peccatis jubemur publicè orationem Dominicam quotidie recitare, sed satis est, si privatim in cubiculo, ubi solus exaudiat Deus, recitetur. Idem in citato ex Homiliis loco: Non sufficit mores in melius commutare, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo. Quid clarius? subjungit Bellarminus. Idem in Psalmum supra quog, citatum requirit Satisfactionem, ut peccatum non maneat impunitum, ut eo modo non solum Misericordia DEI in remissione resplendat, sed etiam Veritas & Justitia locum habeant. Quæ de cooperatione Fidei in remissione peccatorum impetranda, item de cooperatione hominis in Justificatione & aternâ Salute adquirenda incidenter ex Augustino interserit Bellarminus, infra quoque suum habebunt locum; sicut, quæ itidem ex oblata occasione ad laudatum supra ex Augustini in Psalmum quinquagesimum Enarratione testimonium notat Bellarminus, apud Augustinum tegere peccata non esse, nullo punire modo, sed, non punire in aeternum, vel, non punire temporaliter etiam, si semetipsum puniat peccator; quantum valeant, ex iis constat, quæ paulò antè ad idem testimonium ex mente Doctoris augusti fuerunt observata. Nunc duo tantùm super adhuc sunt testimonia, quæ Calvinum ex Augustino contra Satisfactiones commendare scribit Bellarminus, ad ea etiam respondere conatus, quorum prius esse dicit ex libro de Dogmatibus Ecclesiasticis, qui Gennadio alias adferibitur, ubi Satisfactio hunc in modum describitur: Penitentia Satisfactio est, causas peccatorum excindere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere. De posteriori monet, nescire se, ex quo sit libro desumptum, quia nec Calvinus certum assignavit locum, verba tamen ejus sequentia exhibet: Christi caro verum est, & unicum pro peccatis sacrificium, non modò iis, quæ uni-versa delentur in Baptismate, sed quæ postea subrepunt ex infirmitate, propter quæ uni-versa quotidie clamat Ecclesia, remitte nobis debita nostra, & remittuntur per singulare illud Sacrificium. Ad prius respondet Bellarm. illud definire Satisfactionem veram ab effectu; illa enim est, inquit, vera seriatimque Satisfactio, ex quâ sequitur, ut radices peccatorum evellantur, & boni habitus Virtutum acquirantur, ex quibus fiet, ut non facile deinceps malis suggestionibus patefiat aditus. Nam alioqui eodem libro, capite proximo antecedente Author disertis verbis Satisfactionem docet, scribens: Quamvis peccato quis mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lacrymis & orationibus. Et paulò post: Quem crimina mortalia post Baptismum commissa premunt, hortor prius publicè satisfacere Penitentia, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communi (iterum) sociari, si non vult ad iudicium & condemnationem sui percipere Eucharistiam. Sed & secreta Satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, verùm mutato prius habitu Seculari, & confesso Religionis studio, per vitæ correctionem, & jugi, imò perpetuo luctu, miserante DEO, ita duntaxat, ut contraria pro his, quæ penitet, agat. Alterum, ita porrò Bellarminus, vel posterioris Testimonium nullà indiget expositione; fatemur enim, omnia remitti peccata per Sacrificium Crucis. Nam ex eo vim habent Baptismus & cætera, quibus justificantur homines, Sacramenta, & ex eodem Gratia spiritum haurimus, sine quo pro reatu pœnæ temporalis satisfacere non possemus. Porrò, Augustinum ob Crucis Sacrificium non existimasse satisfactiones exclusas, perspicuum est ex testimoniis, quæ nono capite protulimus. Omnia hæc Bellarminus pro Satisfactione, Deo præstandis ex August. & ut videri voluit, ad Augustini mentem explicandam & defendendam, quibus ante, quàm ex debito fiat satis, in genere notari debet confessio Bellarmini, primo libri hujus capituli inserta, hic omninò attendenda: Si veteres Ecclesie Patres interdum actionibus humanis tribuere videntur, ut Deum ex inimico reddant amicum, atq, adeo pro expianda satisfaciunt culpâ (& consequenter etiam pœnâ, de quâ hic præprimis agitur,) interpretandi sunt de Satisfactione ex congruo, non ex condigno; quam nec illud Evangelici concedant, neque ex Augustino, cujus Sententia hic defenditur, possit ritè probari, quod jam venit ostendendum. Et ad primum quidem ex Enchiridio testimonium, præter Eleemosynarum mentionem, de quarum effectu, ut dixi, suo infra loco agetur, quod de propitiando ibi legitur deo, notari debet, antiquum Juris Canonici Glossatorem ad hæc verba à Gratiano citata observasse in margine, propitiandum, id est, placandum. At placare deum, non idem esse, quod satisfacere DEO, quavis de propria verborum significatione ritè informatus intelligit. Et si enim Augustinus verbis

c. Sanè,
dist. 3. de
Pœnit.

verbis sequentibus etiam Satisfactionis mentionem facit, tanquam rei ad impetrandam remissionem necessariæ; ipsa tamen verborum series ostendit, agere Sanctum Patrem hic etiam, uti aliàs pluries, de satisfactione Ecclesiasticâ tum temporis usitatâ, de quâ in antecedentibus juxta *Calvini* observationem scripsit Doctor Augustus, verbis omninò huc adponendis: *Neque de ipsis criminibus, quamlibet magnis, in Sanctâ Ecclesiâ remittendis, Dei desperanda est Misericordia, pœnitentiam agentibus, secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem Pœnitentiæ, ubi ale crimen est commissum, ut is, qui commisit, à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel alia quæcunque signa procedit; rectè constituuntur ab iis, qui præsumunt Ecclesiæ, temporâ Pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in quâ remittuntur peccata.* Et ne Augustinus de aliâ in sequentibus agere videatur Satisfactione vel Pœnitentiâ, ex eo patet, dum loquitur de illis criminibus infandis, quæ illo tempore non nisi per publicam expiata fuerunt Satisfactionem & Pœnitentiâ, cui obposuit Pœnitentiâ, quæ vocari potest domestica, scribens: *De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc Vita non ducitur, quotidiana fidelium Oratio satisfacit.* Qualem hic intelligat Satisfactionem Doctor Augustus, in proximè sequentibus indicat: *Delet omninò hæc Oratio minima & quotidiana peccata, delet & illa, à quibus vita fidelium sceleratè etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit.* Multùm hic quoque deletionem peccatorum à Satisfactione propriè sic dictâ distare, nemo Grammaticæ vel potius Etymologiæ & Lexicæ peritus ignorat. Quid verò hoc ad eam pro peccatis, vel pœnis eorum expiandis Satisfactionem, quam hodiè contra morem antiquum, & hinc Augustini etiam Seculo usitatum, post absolutionem & impetratam peccatorum remissionem, à Sacerdotibus tanquam Ecclesiasticis Judicibus imponi, paulo ante ex ipso audivimus Bellarmino? Nihil omninò. Secundum quoque testimonium de publicâ in Ecclesiâ conspectu agit Satisfactione & Pœnitentiâ, ut suprâ est ostensum, & ipsa iterum docent verba, hic in gratiam Lectoris repetenda: *Quosdam, quorum crimina sunt manifesta, ab Altaris societate removemus, ut pœnitendo seque ipsos puniendo placare possint, quem peccando contemserant. Nam nihil aliud facit, quem veraciter pœnitet &c.* Loquitur de peccatis publicè ante Absolutionem & remissionem peccatorum expiandis, non de Satisfactione post impetratam Absolutionem privatam ad nutum Sacerdotis tanquam Judicis præstandâ, utpote Augustini Seculo juxta ipsius Bellarmini confessionem incognitâ, ad quam ab illâ non valere consequentiam, utriusque differentia ostendit. Idem de tertio dici debet testimonio, ex ultimâ inter *quingenta Homilias* desumpto, quæ Homilia Tomo etiam nono sub lemmate tractatûs de *Pœnitentiâ Medicinâ* exhibetur, & cujus maximam partem *Rhenanus* suæ de Tertulliani Dogmatibus admonitioni inseruit. Tres in eâ exhibet Augustinus, vel quicumque est ejus Author, pœnitentiæ actiones, vel potius diversos gradus, tum in Ecclesiâ usitatas & diligenter attendentibus notas. *Vna est, inquit, quæ novum parturit hominem, pœnitentiâ intelligens baptismalem eorum, qui adulti tum ad Fidem conversi baptizabantur. Altera verò vel secunda, cujus actio per totam vitam istam, quâ in carne mortali degimus, perpetuâ supplicationis humilitate est subeunda. Neutra harum pertinet ad Pœnitentiâ, de quâ in præsentia agimus contra Bellarminum. Sed & neque tertia, quam prolixioribus verbis ita describit: Tertia est, quæ pro illis subeunda est peccatis, quæ legis continet Decalogus, & de quibus ait Apostolus, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. In hæc, scribit, Pœnitentiâ majorem quisque in se debet exercere severitatem, ut à se ipso judicatus non judicetur à Deo. Ascendat itaque homo adversus se tribunal mentis suæ, sit timet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi. Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei posthæc fiat. Atque ita constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnis ex timor. Postremò ab ipsa mente talis Sententiâ proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & Sanguinis Domini, ut, qui separari à Regno Cælorum timet per ultimam Summi Iudicis Sententiâ, per Ecclesiasticam à Sacramento cælestis Panis interim separetur Disciplinam. Versetur ante oculos futuri iudicii, ut, cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet quàm sit illa contremiscenda pœna, quæ æternam aliis percipientibus Vitam, alii in Mortem præcipitentur æternam. Nihil in his de Satisfactione privatâ post Absolutionem à Sacerdote impositâ legitur, sed omnia de publicâ ante Absolutionem pœnitentiâ, quæ aliàs Canonica, ob canones de eâ præscriptos, communiter autem Ecclesiastica dicitur, quia in publico Ecclesiæ cœtu eam præstare oportebat, veniunt intelligenda, id quod verba à Bellarmino etiam laudata evincunt, quibus immediatè sequentia hæc adnectuntur:*

Cæteris ad exemplum, ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel potius etiam plebis agere Penitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortifera plaga per pudorem addat tumorem. Quæ contra Arnaldum Sorbonistam hoc præsentem testimonio ad certum quoddam in Africa usitatum Penitentiam genus demonstrandum & ostendendum, omnium olim criminum publicam fuisse Penitentiam, impertinenter utentem vel potius abutentem notavit Dallæus, suo legi possunt loco, ad Bellarmini Scopum non idonea; qui dum in aliis ex eadem Homilia verbis Satisfactionem Deo debitam observavit, non malè fecisset, si ex antecedentibus pariter & consequentibus didicisset, aliosque ex officio docuisset, qualis ibi propriè intelligeretur Satisfactio. Nimirum Davidis exemplum ad imitationem legitur commendatum: *Davidem intueri regem, jam utique & Ipse illius temporis per ceperat sacramenta, jam circumcisus erat utique, quod Patres nostri habebant pro Baptismo; jam unctus etiam erat unctioe venerabili, qua regale Sacerdotium Ecclesiæ præfigurabatur. Repentè autem factus est & adulterii & homicidii reus, non frustra tamen de tam immani & abrupto sceleris profundo penitens clamavit ad Dominum, dicens, Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Quo tandem merito? Nisi qui a idem dicit, Iniquitatem meam cognosco, & peccatum meum ante me est semper. Quid autem obtulit Domino, undè illum sibi propitiaret? Quoniam si voluisses Sacrificium, dedissem utique; Holocaustis (autem) non delectaberis. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Non solum ergò devote obtulit, sed etiam ista dicendo, quid offerri oporteret, ostendit. Non enim sufficit, mores in melius commutare, & à malis recedere factis, nisi etiam de his, quæ facta sunt satisfiat Deo. Quomodo: Explicatur id per ea, quæ Gratianus quoque adposuit antecedentibus: Per penitentiam dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium, coeperatque Eleemosynis & Ieiuniis, quod postremum tamen à Gratiano additum, neque apud Augustinum, neque apud Bedam, neque apud Lombardum, quorum uterque hæc usus est Sententiâ, legi, Gregorianus etiam Notator observavit. De cætero, ipse verborum tenor ostendit, agere hujus Sermonis vel Libri Authorem verbis hæc de ipso ordine in Penitentia ad exemplum Davidis observando, ut nimirum mutationi Vitæ in melius præmittatur serius de antea actis dolor & contritio cordis, Glossatore antiquo hic etiam notante: Non sufficit, quo ad famam exteriorem; sufficit enim quoad Deum, dum modo non contemnatur. Quo ipse ostendit, & hæc Augustini verba de publica intelligi debere Penitentia & Satisfactione, quod satis iterum esse potest contra Bellarminum. De quarto, quod adhuc restat, testimonio ad secundum hujus Libri caput est actum, ex quo manifestum est, illud omninò ad præsens Institutum non pertinere, neque Glossam Bellarmini quidquam ad rem facere. Quid enim? An quia David ex mente Augustini, vel Augustinus ex mente Davidis dixit, peccatum non relicturum se impunitum, ne Deus puniat; exinde sequitur, Davidem satis pro peccato vel ejus pœna temporali fecisse Deo, vel Deum idè non punivisse, quia ipse David suum in se peccatum puniendo Divinæ satisfecit Justitiæ? Verùm ipse Bellarminus suam hanc refellit glossam, in antecedentibus exemplum Davidis à Deo post impetratam remissionem peccatorum puniti exhibens, ubi docere voluit, sæpè remissa culpa manere debitum pœne luendæ. Certè, ad hominem disparto, si David suum in se peccatum puniens Divinæ satisfecit Justitiæ pro expiatione etiam temporalis pœnæ; cur nihilo tamen minus post remissionem culpæ, post expiationem pœnæ Deus eum punivit, quem aliàs tanto opere dilexit, & qui in pietatis sinceræ studio paucos habuit imitatores? Ad duo testimonia, quibus Calvinum contra Satisfactionis meritulum esse scribit Bellarminus, iisque respondere conatur, paucis notandum, prius, quidquid excipiat Bellarminus, & quidem in verbis, quæ contra semetipsum suppeditavit, agere de publica iterum Penitentia, qua peccati mortalis reus post eam Sacerdotis judicio reconciliatus Communioni sociatur, & in Ecclesiæ gremium iteratò recipitur. Et quamvis in proximè sequentibus verbis secretè mentionem faciat Satisfactionis, non tamen exprimit, intelligi illam debere de Satisfactione imposta à Sacerdote tanquam Judice: nec etiam potest de ea intelligi, utpotè, quod ex antecedente trium Penitentia actionum vel graduum recensione constat, Augustini tempore omninò incognita, adeòque huc planè non trahenda. De Posteriori non adeò debuit esse sollicitus, ex quo fit delatum libro, utut Calvinus certum non adscripsit locum; cum ex superioribus, ubi de Sacrificio Missæ propitiatorio vel potius contra illud ex Augustino fuit actum, constare possit, plura huic similia in Augustino legi, undè nec Bellarminus illud omninò, tan-*

tanquam à Bellarmini mente alieni quid continens, repudiare est ausus, de aliquo etiam responso sollicitus, videlicet, *Augustinum ob Crucis Sacrificium non existimasse, Satisfactiones excludi*, quod per illa quatuor testimonia patere existimat, quæ tamen ad illam Satisfactionem, de qua in præsentia agitur, impertinenter referri, in proximo Examine est ostensum, ut adeo nihil super jam sit, quam ut præscriptum à Bellarmino lemma de Satisfactionis pro Pœna etiam temporali Deo præstandæ vi & efficacia omninò deleatur, atque Virtus Satisfactionis & Satispassionis plenariæ à Christo per impletionem Legis & Mortem Crucis præstitæ sine omni additione humana in integrum restitatur, hominesque Pœnitentiam agentes ac Deo reconciliari desiderantes per Fidem salvificam ad Christum, Mediatorem unicum reducantur.

LIBRI PRIMI
DE
INDULGENTIIS,
CAPUT TERTIUM,

de Quæstione,

*An sit in Ecclesiâ potestas applicandi Theaurum Satisfactionum,
ac per hoc Indulgentias concedendi?*

DE Indulgentiis agit Bellarminus peculiari Tractatu, qui in prioribus Controversiarum Tomis non adparet, sed in ultimis demùm Editionibus inter alias adpendices legitur insertus. Quia verò hoc argumentum quam proximè videtur cum antecedenti connexum, ideò paucis de eo hic agi debere consultum fuit visum, ut postquam de Satisfactionibus & Satispassionibus humanis, earumque omnimodâ nullitate coram Deo ex Augustini autoritate est actum, de valore Satisfactionum quoque videamus, quid ex augustissimi Doctoris Sententiâ sit statuendum. Sed paucis, ut dixi, quia non solum Bellarminus ipse cum *Chemnitio* debuit agnoscere, *Durandum*, *Antoninum*, *Roffensem* negasse, Indulgentias tempore *Hieronymi & Augustini*, aliorumque Veterum, qui primis quingentis Annis floruerunt, fuisse cognitâs; sed *Gerhardus* noster in *Confessione*, quam non sine causa dixit Catholicam, idem expressis aliorum, nominatim *Majoris & Dominici à Soto* testimoniis dedit comprobatum, ut adeò hæc tractatione omninò liceret superedere, nisi aliqua incidenter ex Augustino occurrerent, quibus per indirectum quasi Sanctum Patrem ad suas trahere partes studuit Bellarminus, breviter, ne quid intactum maneat, ponderanda. Primum verò occupat locum explicatio Oraculi, quâ potestatem applicationis Satisfactionum Christi & Sanctorum ex Augustino demonstrare tentavit Bellarminus. Verba Pauli post alia duo testimonia hæc sunt: *Gau- Coloss. 1.*
deo in Passionibus pro vobis, & adimpleo, quæ desunt passionum Christi, carne meâ pro corpore Ejus, quod est Ecclesiâ. Præmissis à Bellarmino pluribus, quæ ad cæterorum quoque ex Apostolo testimoniorum eo sine laudatorum explicationem pro Instituti ratione videbantur inservire, hæc subiunguntur: *Augustinus certe satis aperte ex hoc Apostoli loco col- in Psal. 61.*
ligit, conferri in commune Reipublicæ Christianæ bonum Passiones Sanctorum, quæ Passionibus Christi sunt hæcenus adjunctæ, & usque ad Mundi finem adjungentur. Quia Bellarminus verba Sancti Patris non est ausus exprimere, en, ea textu plenissimo: *Vnus homo cum ca-
pite & corpore suo est Iesus Christus, Salvator corporis & membrorum corporis, duo in carne
unâ, & in voce unâ, & in Passione unâ, & cum transierit iniquitas, in requie unâ.* Passiones itaque Christi non in solo Christo, imò, Passiones Christi non nisi in Christo. Si enim
Christum intelligas caput & corpus, passiones Christi non nisi in Christo; Si autem
Christum intelligas solum caput, passiones Christi non nisi in solo Christo. Si enim (re-
ctius, verò) passiones Christi in solo Christo, imò in solo capite; undè dicit quoddam
Ejus membram, Paulus Apostolus, *ut suppleam, quæ desunt pressurarum Christi, in car-
ne meâ?* Si ergò in membris Christi es, quicumque homo, quisquis hæc audis, quisquis
hæc non audis, sed tamen audis, si in membris Christi es; quidquid pateris ab eis, qui
non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi. Ideò additur, *quia deerat,
mensuram implens, non superfundens.* Tantum ergò pateris, quantum ex passioni-
bus suis (*legendum, tuis*) inferendum erat universæ passioni Christi, qui passus est in ca-
pite nostro (*tanquam caput nostrum*), & patitur in membris suis, id est, nobismetipsis
ad

Lib. II.
cap. 17.
mox, in it.

Coloss. 1.

in Psal. 61.